



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio LIII. Visitandi jus censetur concessum cumulativè, non autem  
privativè quoad Episcopum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## DECISIO LIII.

Visitandi jus censetur concessum cumulativè, non autem privativè quoad Episcopum.

R. P. D. Ludovisio, postea S. D. N. Gregorio XV.  
Abulen. juris visitandi.

*Inter impres-  
sas Ludovi-  
si decij. s.*

Veneris 10. Novembris 1600.

## SUMMARIUM.

1. Visitandi jus censetur cumulativè concessum cum Episcopo.
2. Visitator specialis facit cessare Generalem.
3. Procedit in Pralato regulari cui specialis
4. Visitare non potest ordinarius, quando in fundatione fuit dictum, quod per certam personam & non per aliam fieri debeat visitatio.

Quædam Francisca de Manzedæ de Anno 1572. in suo testamento fundavit hospitale sancti Nicolai nuncupatum della Coppeta Oppidi de Olmedo Abulen. Diœc. eo adjecto, ut ille, qui pro tempore fuerit Prior Monasterii S. Mariæ della Meidrada sit Patronus dicti hospitalis, ad hoc, ut ipse illud visiter, & provideat in eo, quicquid sibi placuerit expedire, pro ut latius in dicto testamento, cujus copia datur; quam auctoritatem confirmavit, & ampliavit in Codicillis procedendo illi liberam, & generalem potestatem, quam ipsa habet, & prout ipsa facere posset, tam circa executionem omnium in testamento contentorum, quàm circa hospitalis administrationem; stante hujusmodi facultate Priori dicti Monasterii concessâ, & declaratione sacre congregationis Concilii Tridentini cujus copia datur his verbis. *Congreg. Concil. consui ex decreto Concil. cap. 8. sess. 22. Episcopum posse visitare, nisi aliter cautum sit in institutione*: fuit dubitatum, an Priori S. Mariæ competat jus visitari, dictum hospitale privativè, quoad Episcopum Abulen. & Domini Informante tantum Priore, quia proceditur per contradictas, fuerunt in unanimi voto contra informantem non esse per hujusmodi facultatem Priori in fundatione

con-



voto contra informantem non esse per hujusmodi facultatem Priori in fundatione concessam, ademptam facultatem visitandi, tributam Episcopo ex dispositione Concilii Trid. cap. 3. sess. 22. quidquid sit de jure comm. & unus ex Dominis attulit aliam declarationem Congreg. quæ ita demum excludit Episcopum, si in fundatione statutum sit, ut Episcopus non possit visitare; quod non fuit factum in casu isto, in quo de Episcopo nulla fit mentio, & licet sit concessa visitatio Priori, intelligi tamen debet cumulative, non privative quoad Episcopum, contra quem debet esse expressa prohibitio, ut censuit Congregatio, & propterea, quæ dicuntur de speciali visitatore deputato, quod faciat cessare generalem ex Doctr. Jacobi de Aret. in l. quod verum §. si quis potest, ff. de leg. primo & seq. ultra quod habet multos contradic-  
 tes, & procedit in Prælato regulari, cui speciali jure censetur concessa jurisdictio pri-  
 vative. Abb. in C. pastoralis sub num. 6. vers. sed in regularibus aliud puto, & ibi Felin.  
 num. 4. de officio ordin. Dixerunt Domini hæc, & alia, quæ de jure comm. allegantur  
 non esse habenda in consideratione, cum habeamus dispositionem Concilii, quam  
 debemus attendere.

## Ad Quæst. XXXII. Additio.

Privilegium Eugenianæ constitutionis non solum tribuitur Officialibus quo-  
 rum nomine modo & præcipue veniunt Cardinales, & eorum familiares, &  
 Prælati Romanæ curiæ, sed & omnibus curialibus, etsi Officiales non sint  
 ut Advocati & Procuratores. Rota coram Buratto, decis. 220. numer. 3. imò etiam om-  
 nibus Clericis, qui occasione negotiorum suorum in Curia commorantur, dum-  
 modo per aliquod tempus notabile in eadem resideant, quod hodie ex constit.  
 Pauli V. intelligitur. Fagnan. in C. licet, numer. 44. de foro compe. Ridolfin. in  
 pract. par. 3. cap. 4. numer. 120. & hi omnes Eugenianæ privilegio gaudentes, si in par-  
 tibus conveniantur jus habent revocandi, & Auditor Cameræ facultatem habet in-  
 hibendi in vim d. constitutionis etiam Judici de partibus, ut legitur in Facultatibus  
 A. C. concessis à Paulo V. constit. 28. §. nec non etiam, & constit. 71. §. præterea Au-  
 ditor. & decisio Egidii hic per dictum Auctorem allegata intelligi debet juxta stylum  
 antiquum, secundum quem Auditor Cameræ non erat Auditor generalis Papæ,  
 & ordinarius totius universi, sed tantum Judex Curialium, de quo stylo etiam in-  
 telligitur. Decisio 5. de officio ordin. in antiq. Gravari. in addit. ad Vestr. lib. 2. cap. 4. num. 10.  
 Ridolfin. par. 1. cap. 1. num. 13.